DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA SISTENS QUAEDAM DE LACTATIONE...

Tommaso Udalrico Andres



DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS QUAEDAM DE LACTATIONE

QUAM AD MEDICINAE LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

IN CELEBERRIMO CAESAREO REGIO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS PROPONIT

THOMAS UDALRICUS ANDRES

VULTURRENUS E TIRANO

CHIRURGIAE DOCTOR

POSTRIDIE KALENDAS DECEMBRIS ANNO MDCCCXXVIII

PATAVII

EX OFFICINA VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXVIII



D.

JO. ANTONIO ANDRES

TIRANI

PRAEPOSITO AC VICARIO FORANEO

PATRUO AMANTISSIMO

AMANTISSIMUS NEPOS

Quam optabam maxime et votis omnibus desiderabam, nunc tandem illuxit aurora. Academiae leges aliquid proponere jubent, quod mihi longum sane curriculum absolventi studiorum meorum fructum aliquem percepisse testetur. Hoc me impulit ut meam opellulam validissimo Patrono mandaturus Tibi soli inscriberem, Tibi inquam, quo nullus obstrictior, jucundior nullus occurrere unquam poterat. Sedet enim aeternumque sedebit animo tua in me collata sollicitudo, pietas, beneficentia, quibus Patruus optimus parentum meorum

acerbissimum desiderium temperabas. Adde quod id voto respondet: nam si tuis fretus auspiciis apollinari laurea decorari summopere gaudeo, ideoque *salutem*, ut Tullii verbis utar, *hominibus dare* perdidici; Tibi vere hominum salvatori comes adjungor in eo confisus, ut bona causa, bono sub patrocinio melior et videatur et sit. Hoc argumentum postulat utpote quod eo tendit, ut physicam corporis compagem cum integerrima mentis alacritate irrupto foedere consociar.

Me ut fac, ama, tuique observantissimum habeto. Vale.

Dabam Patavii die 25 Novembris 1828.

THOMAS UDALRICUS ANDRES.

Incolumem Genitricis valetudinem; animum et corpus infantulorum ab ineunte aetate rectis instituere primordiis; alternis amoris officiis conjugii vincula in dies validius confirmare: id totum, inquam, est illius Medicinae partis, quae in humanorum corporum tuenda valetudine, non solum cujuscumque individui physicis bonis, sed totius etiam societatis prospicit utilitatibus. Hoc equidem magni momenti est, quum et humana societas incrementum ex his potissimum consequatur, et naturae leges obsecundentur, quum demum patria et Imperium cum probis civibus tum etiam firmis subditis exornetur.

Ut primum neonati in lucem editi, eos alere et omni cura defendere, hoc nimirum a natura munus et datum et suasum semper fuit. In hoc enim matrum prope dixerim dignitas et vera generis nobilitas inest. Ecquis inficiat nullam primis temporibus extitisse mulierum dignitatem, nullam veram ac pro-

priam nobilitatem quae huic officio se se subduxisset? Verum mei non est muneris de hac re disserere, cum id omnibus indubium sit.

Hebraei in primis praesto sint. Ponite vobis ante oculos praestantissimam illam Abrahami Uxorem. A sacra Scriptura accepimus, Saram proprio lacte aluisse filium quem peperit (1), Rebeccam Jacobum (2), Annam Samuelem (3). Quid vero dicam de nobilissima illa septem fratrum Machabeorum parente (4)? Intuiminor demum Deiparam ipsam quae a longa ac praeclara Patrum, Patriarcharum, Sacerdotum serie deducta, propria Christo infanti ubera praebuit ita, ut hac prorsus de re et se beatam appellaret, et beata ab omnibus vocaretur : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti* (5).

Quanti vero nutricis conditio in veris matribus a Graecis haberetur facili negotio dignosci potest a singulari ignominia qua illae matres afflictabantur, quae pacta mercede proprio lacte alienos filios nutriebant. Testis Athenis Orator qui de quadam narrat muliere in judicium adducta ea tantum de causa quod nempe curavisset, ut mercede aliarum matrum filios lactaret.

Quid de Romanis? A primordiis usque Urbis conditae juxta Taciti sententiam, ex more unaquaeque Romana proprium obsignabat lac suo filiolo, qui nullam aliam altricem noscebat. Atque hoc quidem clarius innotescit, cum Caesarem Matronas Romanas audimus objurgare, quod catulos simiosque filiorum loco prae manibus habeant.

Nec istiusmodi mos apud antiquiores Germaniae populos erat, quum omnino ignorarent quid sibi vellet externis mulieribus proprios filios alendos tradere: huic muneri unaquaeque mater satisfaciebat.

Quidam Hispaniarum historicus ita refert: =
" Nella China, una delle principali condizioni
,, che si richiedono per ammettere una donna ad
,, alcuni impieghi alquanto considerevoli, si è, che
,, abbia col suo proprio latte nutrito tutti i suoi fi-
,, gli, perchè la donna dicono colà, che non allat-
,, ta la sua prole, rassomiglia piuttosto a una druda
,, o ad una cortigiana, che ad una donna di ono-
,, re ,, =. Ita Ballexserd Genuae civis.

Adeo severe in hac re complures populi sentiunt, ut de mulieris honore in suspicionem incidant, si forte quum ipsi lactis nutrimentum deficiat idem praebere proprio filio non possit. Quid plura, quum nemo, elapsis temporibus, dicere vellet mulierem nunquam peperisse, si proprio filium lacte non aluisse innotesceret.

Sed haec fortasse parum ad rem. Validioribus uti argumentis opus est, ut nulla ex mulieribus sit quae nesciat minime sibi posse verae matris nomen comparare, nisi proprio lacte suos infantes enutriat. Et fieri unquam poterit ut mater postquam novem mensibus, summa patientia foetum gestaverit, tantoque in lucem ediderit dolore, quum tandem et flentem tendentemque manus et os ad fontes nutritionis adspiciat, fieri inquam, poterit, ut mater filium divellat uberibus,

et proprium lac depasci natum suum neget! Quodnam hoc est contra naturam imperfectam atque dimidiatam matrum genus, ut simul ac pepererint filios, statim e sinu abstrahent ac procul abjiciant? ut nescio quid, quod non videat in utero sanguine suo alant, alere vero recusent, quum videant jam viventem jam matris officia implorantem? Nonne putandum est naturam foeminis ubera quasi quosdam naevulos venustiores ad pectoris ornamentum, non ad liberos enutriendos dedisse? Nonne omnes a provida Natura et mammis et lacte donatae sunt ut et mercenariae. Adde insuper quod natura ipsa demonstrat, matres filios quos procrearint, alere et nutrire debere, quamobrem unicuique foeminae ex omni animantium generi et ubera, et post partum lac suppeditatur; quemadmodum in utero sanguine proprio foetum mater alit ita idem postquam in lucem prodiderit, sanguine paullulum commutato nutrire debet, donec nati corpus firmioribus viribus constitutum proprio consilio alimentum expetat sibique comparet.

Oportet ut matres ex se ubera admoveant propriis partubus. Quantum enim hoc naturae legibus consentaneum est? Sanguis qui gestationis tempore in uterum deferebatur, cur post partum ad mammas confluit? Nil in humano corpore absque usu, nil quod peculiaribus suis non fungatur officiis. Duo mulieres receptacula fontesque tenent, qui post partum statim aperiuntur. Nonne perspicuum est, has corporis partes in foeminis existere, ut ex iis vitam

cum nutrimento hauriant infantes? Et sane mirum est quod natura decrevit, nam dum infans e sinu matris vitalem undam ebibit, nescio quid oblectamenti per totum matris corpus difunditur.

Quod si mater aliqua est ita naturae vocibus surda ut proprium lac suo neget nato, hoc quidem non impune facit cum eidem maxima impendeant pericula, et majora profecto quam matribus illis, quibus dulce, et jucundum est huic muneri satisfacere.

Nemo est qui, experientia duce, ignoret, quot quantaque damna ab incauta lactis aberratione proficiscantur. Tot tumores, febres miliares, leucorrhoeae abundantes, artuum dolores scirrhi, cancri, ulcera mammarum, horum partium gurgites, rimae; nonne ex hac tam infesta praxi originem ducunt? Omnium mulierum mammae ab Auctore naturae constitutae sunt ad foetum alendum; quod si tam necessario et nobilissimo officio minime inserviant, necesse est ut obstructiones, longi ac molestissimi abscessus exoriantur in mammis. Maxime enim pertimescendum erit de illius valetudine, cui in animo sit e proprio sinu nutritionem filio negare, quum in aliqua corporis parte fons irritationis excitetur, dum ad alias partes ad hoc neque aptas neque constitutas fluida confluant.

Eo tempore quo mulier non lactat, uterus iterum fit centrum humorum, hinc quum ipsi nulla sit quies post diuturnos novem mensium labores, debilior quotidie magis evadit, ex quo fit ut leucorrhoeae oriantur,

ibique hujusce morbi sedes firmius ingravescat. Quid plura? Uterus si forte quadam de causa lochia accommodate nequeat suppeditare, gurgites statim constituuntur, atque omnium malorum coacervatio, uti ulcera, scirrhus, cancer. Quae quidem procul dubio ostenduntur praesertim si mulier quamdam praeseferat proclivitatem in critica aepoca. Mulier quae non lactat, facilius quam aliae lactantes quibusdam rehumaticis affectionibus objicitur, quae aliquando alicujus artus usum arripiunt, atque hoc quidem tum fit quod perspiratio abundantior est, sensibilitas magis magisque aucta, quapropter actioni frigoris obnoxia facilius evadit. Animadvertantur Boehmer Georgii Rudulphi dissertationes *De Metastasibus lactis* etc. Bose Ernesti *De lacte oberrante* etc. Westphal. *De matre infantem non lactante huic et sibi noxas insignes inferente;* aliaque plurima scripta, et quisque facili negotio judicabit, quot quantisque malis sponte non lactantes mulieres pateant.

Subsidia vero innumera quae a lactatu dimanant suadere debent mulieribus ut proprios filios alant et statutas Naturae leges obsecundent. Quae vero naturam sequuntur, leviori quantitate lochiorum afflictantur, minus obnoxiae sunt febri lacteae quae funestissimos effectus affert omnibus suos natos non lactantibus; earum puerperium mitius decurrit, metastasibus, rehumatibus, plurimisque aliis pertinacibus affectionibus, quae per tot annos saepe saepius ipsas vexarunt, carent postquam parere et lactare inceperunt. In aepoca critica cathamenia e-

vanescunt plerumque ullo absque damno, nulloque valetudinis detrimento, quatenus uterus adhuc suo robore pollet, nunquam externis causis coactus ut exitum praeberet humori qui juxta Naturae leges contineri debebat. Equidem taedet complures ex foeminis vividiorem vultus amittere venustatem, quapropter filiolos lactare quodammodo perhorrescunt; verum istiusmodi mulieres quantum afferat detrimenti vultus venustati longa convalescentia minime sentiunt; quot damna vi et artificio comparati sudores, atque alia complura, quae omnia repente cum oris specie oblectamenta etiam corporis arripiunt. Sunt et quae flaccescant ubera pertimescunt; verum hisce haud compertum est, multo magis flaccescere ubera propter albos fluxus, qui tum apparent cum filios lactare recusant, quam cum nutriendos earum gremio admoveant. Praeterea ex hoc etiam fit ut saepissime haec organa inter acerbissimos dolores amittant. Quot foeminas non conspicimus, quae postquam lacte nutrierunt parvulos, vividiorem vultus servant venustatem, quin ullo urgerentur periculo. Complures ex nobilibus et dilicatis mulieribus, quae celeberrimorum practicorum consilio prospero eventu natos aluere, huic muneri finem imposuerunt quin valetudinis integritas, vultusque forma deficeret. Quod si etiam lactandi molestiam cum caeteris oblectamentis quae a conjugio dependent, comparare velimus, profecto non video quamobrem pium hoc officium et naturae conveniens despicere possint. Quantum enim hae matres spei in marito ponere

hoc

possunt qui satis laetus crescentem et ornatam familiam intuitur! Quae vero utilitas ab hac optima consuetudine eisdem redundat, quod praeter satisfactionem quam sibi comparant ex verae matris nomine, pericula etiam omnia depellunt quae tamquam ultrices furias contra matres ipsa advocat natura. Consulant tandem propriae mulieres utilitati, nec eas dulcis molestia qua in lactandis filiis afficiantur, deterreat.

Si proprium partum lactare plurimam matri affert utilitatem, multo major ea est quae ex hoc ipso officio redundat. Equidem altrix mercenaria minime potest porrigere lac infantulo quod melius conveniat ejusdem physicae constitutioni et necessitatibus opportunius. Illud tantum quod a matre secernitur, aptissimum est ad filium enutriendum cum parum discriminis intersit matrem inter et filium natum, quippe qui ipsius conceptus visceribus, iisdemque altus humoribus; et quoties mater lac de suo sinu infanti recusat, in ipsum agit criminose, quatenus vero probatis de causis a tam sanctissimo munere non removeatur. Primum lac quod, post partum a mammis affluit Medici Colostrum vocant. Cum hoc facultate gaudeat purganti recenti nato utilissimum est, et ad gastro-entericas vias a Meconio depurgandas inservit. Primum hoc lac idem praestat auxilium ac purgantia, quae quidem cum valeant intestinale ductum irritare, inutilia ac damnosa prorsus evadunt. Materni pectoris lac unice omogeneum infantulo semper est, atque prout

filiolus adolescit, vitalis hic humor firmiorem acquirit densitatem, atque iis omnibus subjacet varietatibus, quae infantibus necessariae sunt tum primo, tum medio, tum demum extremo tempore lactationis. Quae quidem omnia in mercenaria nutrice invenire nunquam possumus. Quamvis nutrix reperiatur quae lac secernat ejusdem aetatis ac infans, tamen hujusce mulieris lac nunquam pueri physicae constitutioni et necessitatibus accomodatum esse poterit. Nam vel debilis, vel robustus oriatur infans; quemadmodum genitrix filii naturam fere semper praesefert, ita nutrimentum aut debile aut robustum suppeditat. At ponamus etiam praeberi posse nato a mercenaria lac suimetipsius idoneum aetati; lac Colostrum quod a Meconio eumdem depurget; lac quod infantis naturae conveniat; lac quod nulli subjaceat mutationi, quod non deficiat; his etiam positis recens natus non solum lacte indiget genitricis, sed etiam omnibus curis, quae raro fieri potest ut in mercenariis ad puerorum majorem utilitatem inveniantur. Innumerae prope sunt sollicitudines quibus juvandi et recreandi sunt a matribus recens nati, eaeque variare etiam debent, prout temporis conditiones mutantur. Quaenam alia praeterea foemina si propriam matrem excipias, accuratius atque amantius diu noctuque sollicita erit ut omnibus nati prospiciat necessitatibus? Cujusnam inter brachia tutior esse poterit quam inter materna, cujus vel minimus etiam vagitus ita matris aures et pectus percellit non aliter ac validior vox egestatis? Quo-

ties mercenariae nutrices ut in propria incumbant opera, diu alumnum, pene dixerim, obliviscuntur, ipsum excruciari sinunt irretitum fasciis et faecibus sordidatum, quae tenellum corpus inflammant, cutemque dilaniant? Quoties ob iteratos diuturnosque stridores ortum habent herniae, et a cerebrali gurgite convulsiones excitantur? Quoties admoventur infanti ubera adhuc sudore madentia maximo valetudinis detrimento? Quoties demum mercenariae nutrices partim lucri cupidine obcaecatae, partim etiam necessitate compulsae proprios morbos non detegunt, simulque cum lacte tot malorum semen in sanum infantis corpus non immittunt! Quis tum vester sensus esset, crudeles matres, si illi quos genuistis, nati ita ad vos sermonem converterent! Ita ne invisi vestris oculis fuimus, ut nos ad externa brachia committeretis statim ac vita perfrui licuit? Ergo ad vestram tantum voluptatem satisfaciendam in lucem nos prodidistis? Aegre quidem sentimus pusillum nostrum corpus vestra viscera sustulisse, quum vix nati a vestris complexibus abstraxistis? Quo tandem pacto dulci matris nomine vos possumus nuncupare, si ea bona abripuistis unica nobis et necessaria ab Auctore naturae per vos illa aetate concessa! Vel ipsae tigres, et immaniores belluae natis admovent ubera, et si tempus ullum unquam est quo mitescere possint, illud profecto est, quum colludere ad sinum et proprio lacte depasci natos conspiciunt. Vos belluis ipsis crudeliores, non solum dulcissimis his volupta-

tibus spoliari sinitis, sed etiam pium et necessarium officium innocentibus filiis ferociori animi firmitate negatis.

Dii faxint ut hae voces miserorum infantium aliquando matrum animum tangant! Sed nimis longum foret omnia ea mala recensere quibus obnoxii sunt infantes, cum mercenariis nutricibus designantur. At numerus eorum infantium quibus aut negligentia, aut nulla educandi experientia, saepe vero etiam crudelitas animi mortem peperit, in causa fuit cur matres complures tanta hac in re meliori ac sanctiori uterentur consilio. In dissertatione Gilbert videre est quanta infantibus lues a mercenariis nutricibus proficiscatur. Dissertatio cujus titulus, *Avviso alle madri, le quali vogliono nutrire i loro figli*, in lucem edita anno 1767, publici juris iterum facta auctaque anno 1770 a matre conscripta fuit, quae postquam multos filios nutricum causa amisisset, magna cum utilitate deinceps hoc pio munere functa est, ex quo factum ut aliae etiam matres hujusce vestigia prosequerentur. Hoc unicum exemplum satis profecto esset, ut matres omnes propriis oblitae commoditatibus, deque infantium valetudine tantum sollicitae pio nutricum munere minime fungi dedignarentur.

Si verum est quod et experientia ipsa confirmat, a recta institutione totam recte vivendi rationem pendere, in id praesertim mater incumbere debet, ut quum tamen vero amore prolem prosequatur, integrioris vitae rudimenta una cum lacte hauriat filius.

604–

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem:
Testa diu . . . .

Ita Horatius in epistola II., lib. I. Ecqua ex mercenariis altricibus aptius quam mater aut deterrere supercilium etiam poterit, ne proles in vitiis offendat, aut suavius allicere ad complectendam virtutem! Ad hanc sola mater munusculis quibus infantilis aetas blanditur, invitat, hortatur, inflammat; sola mater opportunis adhibitis minis crescentium vitiorum impetum potest temperare. Haec porro instituendorum infantium ratio, quae a matribus adhibenda est. Tali pacto totius vitae fundamenta prosternuntur, cum indolis omnis, totaque vivendi ratio a primordiis unice pendeat. Quantum enim et moribus et valetudini detrimenti exoriatur difficile dictu est, quum ea omnia rectae institutionis principia haud praesto sint, quae infans utpote ingenii corporisque viribus destitutus ab aliis tantum potest comparare. = "*Est namque pueritia ob mollitiem effictu facilis, animisque puerorum teneris etiam num facile insidet quod discunt, sicuti contra quae dura sunt, ea difficulter moliuntur. Et sicuti sigilla mollibus imprimuntur ceris, sic disciplinae puerilibus adhuc animis infiguntur* ,, = (Plutarchus de liberis educandis). Quod si eas disciplinas a proba ac sollicita matre pueri suscipiant, id quam plurimum ad bene vivendum eisdem contulerit. Quod contra si negligantur, et rudi ac parum diligenti nutrici committantur, in pravam vitae fabulam desinant necesse est. Vera et amans mater haud

aliter ac diligens expertusque agricola, qui tenellam plantam educat, totusque in eo est ut pulchra ramis et utilis succrescat fructibus, in recta filioli institutione omnem impendit operam, quum jam firmius repostum teneat mente, dum mollior tellus est, ejusdem gremio semen committere necesse esse ad uberiores fructus opportuno tempore colligendos. Quae unquam fuerit mater, quae malit proprios natos mercenariae rudisque altricis indolem et habitus praeseferre, quam suimetipsius virtutibus ornatos conspicere? *Si ovium lacte haedi*, sunt Mercurialis verba in suo Nomothelasmo, *aut caprarum agni alerentur, constat, in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem;* et alibi; *cur enim si vis et natura seminis ad fingendas animi atque corporis similitudines valet (quod confirmant omnes Medici et Philosophi) non etiam ad eamdem rem lactis ingenia et proprietates valeant?* Mercenariis puer traditus alendus nutricibus quibus suavioribus informari potest consuetudinibus, quum hae nequiores saepissime, semper autem rudes et stultae sint? Ecqua affabilitas morum in puero esse potest, ecquis erga parentes amor, ecqua animi ad virtutem accomodatio? Puer inter rusticanae nutricis amplexus ipse quoque rusticanus evadit, propriam matrem ignorat, externus prope dixerim, fit sanguine, moribus, ingeniique facultatibus. Quoties hujusce consuetudinis hos tristes effectus in pueris ad meliora progenitis invito animo cogimur conqueri! Plutarchus in libello de liberis educandis ita scribit: *Mea quidem*

sententia matres ipsae nutrire infantes atque lactare debent. Majori enim cum affectu animi alent eos majorique studio, utpote intime et a teneris (ut ajunt) unguiculis diligentes. Nutricum verum amor subdititius atque adscititius est, utpote mercedis gratia diligentium. Infans quasi Psittacus omnia condiscit, et ad agendum imitatione tantum adducitur. Hinc sola mater in puerorum educatione curam diligenter adhibet, et solum quid pulchrum sit, quid dulce, quid utile, quid non, recta institutione eorum ductili ingenio et crescentibus suadet cupiditatibus. Quae omnia frustra a mercenaria nutrice desiderantur. Fertur ad singularem Gracchorum eloquentiam Corneliae matris sermo plurimum contulisse. Quod si res ita se se habent, num ulterius adhuc cum maximo detrimento natorum genitrices conquiescent? Memoria sanctissimi hujusce muneris menti et animo vobis, matres, inhaereat, vobisque sit presuasum quod quotiescumque e vestro sinu lac ad alendos natos exprimitis, toties valetudini vestrae, filiorum robori, eorumque animi et ingenii bono apprime prospicitis. Haec quae faciat, vera mater potest nuncupari.

NOTAE

(1) Gen. 7. 21.
(2) Gen. 27.
(3) Reg. 1. 1.
(4) Machab. 27.
(5) Luc. 11. 27.

THESES

I

Vehemens ira in causa esse potest mortalis apoplexiae.

II

Fletus infantibus utilis evadit.

III

Venena absoluta non dantur.

IV

Sunt universales morbi, qui si non tolluntur, imminuuntur saltem opportuna externorum remediorum adplicatione.

V

Lucis atque tenebrarum moderatus usus in therapeuticis magni est faciendus.

VI

In multis febribus indolis thiphoideae frigoris adplicatio multum valet.